

**Dissertatio de partu viribus maternis absoluto ... / quam ... tueri conabitur  
Franciscus-Ludovicus-Josephus Solayrès de Renhac.**

**Contributors**

Solayrès de Renhac, François Louis Joseph, 1737-1772.

**Publication/Creation**

[Paris] : Typis Laur.-Car. D'Houry, 1771.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q2cv7ace>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





D I S S E R T A T I O  
D E P A R T U

VIRIBUS MATERNIS ABSOLUTO,

Quam, DEO DUCE, & Præside D. ROCHO DUBERTRAND,  
Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Scholarum Præposito,  
Regiæ Academiæ Chirurgiæ Consiliario necnon Bibliothecario,  
*tueri conabitur FRANCISCUS-LUDOVICUS-JOSEPHUS  
SOLAYRÉS DE RENHAC, è loco Calhac, Diœcœseos Cadurcensis,  
Augustissimi Ludovicei Medici Monspeliensis Doct̄or, è Societate  
Reg. Scient. Monsp., Scholæ-Practicæ Parisiensis Demonstrator  
designatus.*

P A R I S I X S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die mensis Decembris, à sesqui - secundâ post  
meridiem, ad septimam, A. R. S. H. 1771.

PRO ACTU PUBLICO ET MAGISTERII LAUREÂ.



Typis LAUR.-CAR. D'HOURY, S. A. S. DUCIS AURELIANENSIS  
Typographi.

---

M. D C C. LXXI.






DD. GERMANO  
PICHIAULT DE LAMARTINIERE,

REGIS A SANCTIORIBUS CONSILIIS;  
Ordinis Regii Sancti Michaelis Equiti Torquato,  
Archichirugo Regis Galliarum necnon Academias  
Regiae Praesidi perpetuo, &c. &c. &c.

*Q*UAM primūm Artem Obstetriciam docendi munus mihi  
arrogavi, Potentissimi Galliarum Regis ARCHICHIRURGE  
MERITISSIME, epitomen, quæ institutionibus domesticis mate-  
riem daret, adumbrare decrevi. Hanc qualecumque tuo nomini  
Sacram, tuo que patrocinio fotam, Virorum Academicorum

acrioribus ingeniis committere , me flagrans , quo uror ,  
Magisterii laureæ consequendæ desiderium impulit. Huic TU  
ne dedigneris afflare , quam lumini dare , inaudito Flacci  
præcepto , hæsissem , nisi coegisset nescia flecti necessitas. Hâc ,  
tuâque summâ indulgentiâ fretus , hocce opusculum , TIBI  
gratâ mente dicare audendum , existimavi : non quòd tuo  
præclaro nomine dignum sit , sed quòd de animo beneficiorum  
memore testetur. Tanta hæc sunt , tanta in TE virtutum cohors ,  
tantus doctrinarum cumulus , que neque tua finat enumerari  
animi celsitudo , neque celebrare , ne laudando attenuet ,  
mea tenuitas audeat. Dùm tanto impares oneri filere cogimur ,  
tu , ARCHICHIRURGE MERITISSIME , benigno , ut soles ,  
vultu , quod offerre sum ausus , munusculum excipe , ac diù &  
plurimum , ut arti præfis & cultoribus adfis , Vale.

FR. LUD. JOSEPH. SOLATRÉS  
DE RENHAC.



# DISSERTATIO

D E

## PARTU VIRIBUS MATERNIS ABSOLUTO.

I.

**P**ARTU sensu stricto sumptus , unius vel alterius sobolis , ex cavo uteri expulsionem significat , quoquo graviditatis tempore vel modo , quâquâ viâ absolvatur. Huc redit molæ vel extranei cujuscumque corporis ex eodem cavo detrusio.

I I.

*De signis quæ Graviditatis terminum & Laborem partorium prænuntiant.*

Hæc vel rationalia sunt , vel sensu capiuntur. Rationalia 1º. Tempus ex quo mulier catamenia non est passa , ex quo motus infantis primùm persensit , quod decimâ octavâ vel decimâ nonâ hebdomade evenit. Hæc portò minus certa habeantur , cùm inter prægnantes , his catamenia fluere non desinant primis gestationis temporibus , illis citior , tardior , nulla à fœtu concussio contingat. Sunt mulieres quæ masculinis citius quam femininis se exagitari prædicant partubus ; undè de fœtū sexu quem enixuræ sunt , vaticinantur. 2º. Gravida corpore posteriùs reclinato incedit , ut graviditatis centrum in pedum basim cogat incidere , eoque magis reclinato quò uterus gravior & ad pubem declivior : hinc fortè cur tot prægnantes cito pede labuntur. 3º. Prænuntiatur parturitionis tempus abdomen voluminoso , unà cum doloribus

A

quibus anguntur gravidæ , nunc in uteri partem anteriorem , nunc in posteriorem seu lumbos , nunc in pelvim inferiorem tendentibus. His quædam tām acutē in regione lumborum vexantur , ut eos in pelvim tendere non sentiant. Apud quasdam , abdominis volumen aliquot antè partum diebus collabitur. Quæ per totum vel ferè totum prægnationis tempus , cibum & potum respuerunt , absque ullâ evidenti causâ , gustu recreantur amœno : aliae autem , ad omnem cibum nauseam concipienti stomacho , debilitantur. 4°. Apud quasdam mulieres , in ultimo graviditatis tempore , frequens , facilis est urinæ emissio : apud alias verò adeò difficilis , ut quandoquè necesse sit uterum , uretram vel collum vesicæ prementem dígito sublevare. 5°. Idem indicat ex vaginâ fluxus humoris glutinosi , plus aut minus aquarum quæ vulgò spuriæ dicuntur. Hæc in plerisque diù antè partum observantur ; undè quid secum auctoritatis apportent rationalia signa ad cognoscendum graviditatis stadium , apparet.

## I I L

His tantū signis fides sit quæ *taclu* , gallicè , *le toucher* , obtinetur : hic resupinâ vel stante muliere , dígito indice peruncto intrà vaginam adacto , capitur. Primiùm interest obseruare an vaginæ parietes , pudenda sint turgida. Hæc eò magis tumefacta & glutinola sunt , ( ceteris paribus ) quò partûs vicinior Prægnans est ; hinc usqee ad uteri orificium ascendendo , perquirendum an os tincæ omnino obtusum sit , hinc indè limbi leves in primo partu , orificium facile cedens pressioni , an membranæ dígito occurrant ; quod si premas orificii partes , facile dilatantur ; hinc conjecturam licet inferre antè octo dies enixuram fore mulierem , quod sàpè antè quintum vel quartum evenit solem ; imprimis si interdùm dígito percipias membranas esse duras , tensas absque ullo dolore vel manifestâ uteri contractione. Cùm jam pluriès utero gravata fuit mulier , pars uteri quæ pelvi inferiori respondet , sàpè turgidior est , quam in primo partu , oris tincæ rima profundior , eò autem usque hians orificium externum , ut immisioni dígitri pateat. Si æquè dilatatum sit internum , ut membranæ dígito immisso occurrant , & videoas quòd invitâ crassitudine , non agrè ejus limbi hinc indè pressioni cedant , post paucos dies ipsam fœtum edituram , spondeas licet. Sàpè fit ut ad primum partum mulier utero laboret antequam uterini orificii rima dígito pateat : sed tunc limbi adeò leves , ut ferè ex seip̄lis dilatentur ; undè , nullâ dilatationis ratione habitâ , proximum possis pædicare partum. Nonnullis gravidis orificium uteri ad membranas usque dígito amplè hiat , etiamsi ad quindecimum , ad trigesimum usque diem & ultrâ expectandus sit partus ; itâ ut cavitas , durities , resistentia , vis oris tincæ estimandæ sint , ne falsò stadium graviditatis ponas : quibus autem

res sic se habent, immaturum sèpè partum enituntur. Ex his omnibus supra iectis colliges quæ sit signorum partus ratio, quæ iis habenda fides, ne te vana ludat species: hæc longo usu, tœdiosa fortè, sed perutili tractatione confirmanda sunt.

## I V.

*De signis quæ Laborem partoritium instantem indicant, & de iis quæ per ejus decursum observantur.*

Quæ nondùm utero gravatæ, sèpè doloris anxiæ stimulis præjudicant partum mox futurum, qui sunt tantùm graviditatis incommoda, undè Obstetricans accersitur. Caveat hic ne cum doloribus partoritiis dolores spurios confundat: rem autem sèpè sèpiùs extrà dubii aleam tactus ponet. Digitum ergò perunctum, matre resupinâ vel stante, ad matricis orificium conferat, ibique, si quod ex iis quæ in sectionibus secundâ & tertîâ diximus offendat, videat an partus sit proximus, an non. Quòd si doloribus vexetur mater, dùm matricis orificium digito premitur, parsque membranarum quæ respondet orificio, fiat magis tensa & durior, quòd major adsit aquarum quantitas à regione infantuli ad membranarum partem, quæ ori tincæ respondet, quodque illi videatur, à digito in orificio uteri opposito, caput vel aliam quamlibet partem recedere (*a*), & eâ proportione quâ uteri contractiones agunt, idem orificium dilatetur, si tenue, vel si crassum tenue fiat, tunc verum laborem partoritium profiteatur. Initio dolores leves, breves, intermissi; oris tincæ, vaginæ liquorem glutinosum, unctuosum, glandulæ fundunt, qui viam illiniens, fœtui lubricum egressum parat. Jam vividores, acutiores, frequenteriores fiunt dolores, hians orificium uteri, limbi tenues, magis tensæ & extensæ occurrunt membranæ, pulsus fortis & altior, albuginea & facies rubeo suffusæ colore, ex imo pectore validas inspirationes trahit Mulier, clamores edit è acutiores quò sensus exquisitor, turgescunt aquis membranæ, limbi orificiis tenues, tunc magis crassi (*b*); ad vomitum prona & mox in vomitum acta Mulier; liquores glutinosi plus aut minus sanguine tinguntur (*c*) quod sermone patro audito,

(*a*) Capitis distantia ex membranarum pendet aditu, & uteri partis quæ pelvi respondet, potius quam corporis infantuli in cavo uterino ascensu.

(*b*) Crassitudo parietum orificii, cùm rima in certum hiat modum, provenit ab ingurgitatione, quæ in his facta est partibus, vel à cumulatione fibrarum quæ operatur eâ proportione quâ membranæ per orificium aditum inveniunt, vel eâ quâ, his ruptis, caput proclivum ad vulvam propellitur.

(*c*) Liquores glutinosi, sanguine ex ruptis sanguiferis orificii vasculis effuso, tinguntur.

*la femme marque assignatur.* Demùm orificii dilatatio nummi argentei majoris circumferentiam superat , membranae dirumpuntur , effusione aquarum tecreatur plerūque mater , & quieti stupefacta datur , quæ cæteris paribus , eò longior , quò aquæ majori copiâ uterum impleverant , & matricis vis contractilis minor. Vix in se coarctatum viscus quo fœtus erat indutus , & pars quibus immergitur aquarum exundavit , cùm de novo pariens doloribus torqueri , & etiam si acriori vi , minus tamen exagitari , cùm ~~enem~~ laboris partoritii adesse intelligat : quòd si ruptis membranis non profluerint aquæ , tunc sæpè per intervalla , sed præcipue incipiente vel definente dolore partoritio , raro in maximâ pressione aufugiant , caput fœtûs in pelvim inferiorem aditum invenit , modò ut dicemus dùm de variis speciebus primi ordinis primæ classis ; in podice gravatur Mulier , ità ut ventre levati credat necesse ; anus , perineum , vulva deorsum propelluntur , tremore quasi convulsivo concutitur toto corpore , præsertim in extremis inferioribusque partibus , nunc magis in hac , nunc in illâ , quod pressioni fœtus capit is in nervos sacros tribuitur. Tunc acutissimi & ferè non intermissi fiunt dolores , dilatatur vulva capite apposito , anxiatur acri dolore in osse sacro & in symphisi pubis parturiens , quòd à se invicem diduci ossa pelvis , rumpique vulvæ partes vicinas ipsi videntur. Extra vulvam prominere non moratur fœtûs caput. Quod si ruptis membranis non profluxerint aquæ , tunc omnino elabuntur , & totus luci datur infans ; omni luctu absolvitur mater , exceptâ in limbis vulvæ commotione. Cùm secundinis simul vel ferè cum puero non est liberata mulier , hæc quies novo dolore perturbatur , tum citius , tum tardius , quod à contractionibus uterinis harum expulsionem producentibus provenit.

## V.

*De Labore spurio.*

Hoc designantur verbo dolores quibus anguntur in utero , vel in lumbis , vesicâ , intestinis , stomacho , in aliisque abdominis visceribus Prægnantes , etiam si non adsit partus. Mater & Infans periclitarentur , si Obstetricans pro labore partoritio haberet dolores spurios , qui dolores à plethorâ , flatibus , pravisque succis aut fermento concitantur , qui que colicas , ventris fluxus , &c. procreant. Dolores ab aere in tubâ intestinali , stomacho orti , borborigmis & flatibus ore vel ano editis , cognoscuntur ; qui à pravis succis in stomacho hospitantibus , ructu nunc acido nunc nidoroso , putrido se produnt : pulsus plenus , fortis , frequens , facies & oculi vivido colore suffusi , membrorum torpor , capit is pondus , tinnitus aurium , &c. à plethorâ provenire

designant: tenesmus à frequenti ventris evacuationis sollicitudine cognoscitur: fluxus autem à materiarum dejectione fluidarum: dysenteria à commixtione fœcalium cum sanguine: symptomatibus colicæ hepaticæ, nephreticæ, febris, aliorumque morborum, spurii etiam denotantur dolores. Tempus ex quo se utero gravari putat Mulier, ex quo Fœtus motu compulsa, abdominis volumen &c, sunt & tot signa quibus spurius designatur labor: hæc autem adeò incerta, quod plerūmque laborem partoritum concomitant; ideoque Embryulcus manu tanget Fœminam, & observatis his omnibus quibus varia graviditatis stadia annotantur, videat oportet quid in orificio agatur, persistante dolore graviori; num quid in illo novum fiat orificio, num membranæ cum digito ori tincæ adacto veniunt, sint laxæ, faciles, mollesque; num orificii circumferentia sit tensa; num uterus in cavitate pelvis prematur; tunc spurium esse laborem certior erit factus. Clarissimus *Levret* in arte obstetriciâ nulli secundus observavit quod majori calore agitetur os tincæ; & verum in illis Mulieribus in quibus spurii dolores plethorâ concitantur. Etiamsi quæ diximus in spurio labore sèpiùs eveniant, non absoluè raro fit ut his orificio uteri & membranæ sint magis tensæ, (a) ac in podicem propulsæ, ferè eodem modo quo doloribus partoritiis; ita ut tunc facile possint distingui: dignoscendum est graviditatis tempus, dignoscendæ causæ hujusce laboris & levandæ sunt propriis remediis, quæ sunt phlebotomia, clysmata, ptisana lenitiva, diluens, &c. temporibus, complexionibusque aptata. His quandoque remediis ad tempus pacantur dolores partoritii, nec ideo infasti partûs cavendi exitus: spurii cessant dolores, & ad tempus solitum producitur fœtura. Non his solùm causis spurius deducitur labor: à prolapsu, ab iactu, à nutritio- nis defectu, ab animæ pathematibus, ab infantuli commotionibus quandoque etiàm oritur.

(a) Mense Julio anni 1770, accersitus veni in domum *de l'ancienne Inſtruſſion*, ſitam in viâ vulgo dictâ *du Gindre*, Sancti Sulpitii proximâ. Orificium Mulieris prægnantis patebat ad amplitudinem paryi nummi argentei: dolores erant conti- nui, & vix uteri orificium anxiabant: membranæ molliter tensæ, biliosam vomebat fecem Mulier. Obstetricis consilio incitabatur à 36 horis his uti doloribus: pulsus erat plenus & strictus, lingua turgida, venter tumidus: uteri abdominisque volumine facile perspexi, ad septimum graviditatis mensem tantum deduci Fœ- tum; invitâ orificii maximâ dilatatione Mulierem non enixoram fore pronuntiavi. Volui in brachio phlebotomiam institui, illamque uti decocto cicoraceo in quâ decoctione dragmas duas ſalis Glauberii per pintam infundi jussi, Phlebotomiâ dolores fuere leniti, potu ventris evacuatio data, & crastinâ die matutinis horis, mulierem profundâ pace fruentem, & orificium minus dilatatum inveni. Ex fennâ, rhabarbaro, mannâ calabrinâ & ſale Glauberii confectum medicamen fieri jussi, quo dolore levata eft. Post quintum ſolem vix digitum in uteri collum introduxifles; & ad felicem post duos menses partum producta eft Mulier.

## V I.

*De causis Laborem partoritum promoventibus.*

Modus quo uterus grandior fit talis est ut à fundo incrementum capiat. Dùm uteri fundus se evolvit, incrementumque suscipit, tumescit corpus se se evoluturum, cùm collum pari mox obsecuturum evolutioni, tumebit, donec evolutione atque incremento absolutis, potentissimis contrà-nitentibus obsequatur. Tunc orificium colli hiat magis atque magis, contractionesque uterinas cedendo determinat. Hæc in utero eadem operantur lege quâ musculus antagonista fortior debiliorem superat, sive vis agens tonica sit, sive merè muscularis. Præter hanc causam quæ utero non secùs ac cæteris muscularis inest, experientiâ constat ictus, casus & medicamina non tardò obstat evolutioni incrementoque fibrarum, uterum irritando. Id mali sæpè evenit in Mulieribus quæ pro primâ vice in ætate proiectâ concipiunt. Plethora, animi pathemata causis efficientibus etiam veniunt accersenda.

## V I I.

*De causis Partum efficientibus.*

Causæ partus efficientes sunt uteri contractiones potentissimis secundariis auctæ, muscularis nempè quorum contractione imminuitur abdominis capacitas. Ut clare deduci possit quâ lege uterinis contractionibus partus absolvitur, sat erit attendere collum esse partem debilissimam, tam ex propriâ compage quam repaguli defectu, cùm pelvis excavationi immineat: hinc evenire necesse est collum dilatatum fore, licet (a) ceteræ visceris regiones contrahantur & decurrentur, atque invitâ suâ ad contractionem luctâ. Quod si quâcumque causâ eveniret resistentiam colli vel cæterarum partium quas permeare debet Fœtus, superate actionem corporis & fundi uteri, tunc viscus hocce dilaceraretur, & Fœtus aut aliquod ejus membrum trans uterum erumpens, in cavum abdominis prolaberetur. Vix ejecto Fœtu, uterus se contrahit, at præ cæteris regionibus, collum. Non

(a) Quandò fœtus ex utero paulò post aquarum effluxum non exit, viscus hocce itâ corpori Infantuli apponitur, ut vix in uterum manum introducas, & quâ proportione illam inducis, videas segmenta uteri quæ magis coarctata fuere, respondere regionibus fœtus tenuioribus; itâ ut segmenta uteri, quoad resistentiam, representent alterum orificium.

semper æquè operosa est Fœturae ejecatio ; interdùm leves adeò dolores & visceris contractiones , ut gravidæ uterum non ferè majori moli- mine quām rectum exonerent. Remissiones contractionum uteri magis vel minùs durant pro actuali cuiusque Prægnantis constitutione. Tibi harum causas investiganti , opportunum erit , uterum conferre homini pondus quoddam operosè trahenti , qui impensis totis post aliquod tempus viribus , fessus remanet , quiete reficitur , è novò operi manum admoveat, iterùm fessus non tardat procumbere, quieteque restaurari : sic iteratis conaminibus , ad desideratum tandem scopum devenir. Ratione non absimili , uteri mollities ac inertia post quemlibet dolorem partoritum , vires impensas apertè declarant. Licet quandoque fœtum & secundinas unà uterus ejiciat , non raro aliquid temporis in moliendâ secundinarum expulsione sibi assumit. Harum detrusio nunc cum , nunc absque dolore peragit. Si dūm uterus placentæ applicatur , orificium undequaque cedat , secundinæ absque ullo ferè dolore expelluntur : si è contrà orificium coarctatum est , vel secundinæ utero adhærent , tunc novus exoritur labor par illi quem passa puerpera est fœtum enitendo , licet dolorum energiâ mitior ac brevior. Non à secundinis solùm novus dolor ingruit , grumi sanguinei iis præsertim quæ jām fœtum ediderunt , in uteri cavo coagulari , & persæpè sanguis in vasculis partium hujuscæ visceris detentus , concitant dolores , partoritiis quandoque atrociores. Actioni uterinæ Fœtum expulsuræ suam symbolam addunt musculi abdominales ac inspiratorii , qui contractione cavitatem abdominalis minuendo , non solùm uterum & Infantuli corpus in orificium in quod introducendum est , trudunt , verùm etiam anteridis funguntur officio erga uterum à quo contractiones adjuvantur. His uti potentiis parturientem concitant dolores , ex resistentiâ partium quas Fœtus perlustrare debet , ut in lucem edatur , orti; indè fit ut cùm persentiat uterum coarctari , amplè inspireret , & tunc cavitas abdominalis coangustatur , contractiones uteri ac dolores vividiori pungunt acu , solatiique avida parturiens validè musculos contrahit ; indèque capacitas abdominalis minuitur , aerem inspiratum sensim sine sensu emittendo , & musculos quām diutiùs potest contrahendo. Hæ autem potentie augmentur corporis situ , & fulcris , pedibusque , manibusque oppositis. Si attento videoas Parturientes oculo , vividis doloribus anxiatas , perspicias oportet nullum esse in plerisque musculum otiosum. Oculorum musculi atque aurium contrahuntur , & tunc hæc organa tam acuto gaudent sensu , ut ne vel submissâ voce susurrare valeas , quin colloquii fiat particeps , nec moveri quin lynceis oculis omnes motus observet & sequatur.

Partuum causæ efficientes subventitiæ , sunt varia auxilia per quæ ex uteri cavo fœtus evelluntur.

*De formâ & situ Fœtûs in uteri cavo.*

Fœtus in utero in ovoideam figuram conglomeratur : hanc tribus juvat partire diametris. Prima & longissima à summo capite ad partem inferiorem trunci : secunda à medio dorso ad partem superiorem crurum : tertia demùm ab hypocondrio dextro ad sinistrum sumitur. Hæc configuratio à flexione trunci in faciem anteriem pendet. Femora abdomini apposita , crura femoribus , calces clunibus , pedes cruribus , ulnæ brachiis , brachia partibus lateralibus & paulò anterioribus pectoris , manus pugnis factis , malis jacent. Hâc favente formâ , Fœtus potest in omnem sensum in uteri cavo moveri , quandiu aquarum copia hujus organi parietes itâ distantes , hinc & indè servat , ut nil repaguli majori occurrat diametro corpusculi. Non sic cum parietes uterini sive à dextrâ ad sinistram , quod plerūmque , sive ab alto ad imum , quod raro , itâ vicini extant , ut impedian quominus magnæ diametri extremitas locum alterius occupet. Embryulus tactus medio sexto mense , sœpè & facilis negotio Fœtûs caput offendet in prægnantibus , quarum pelvis apertura superior latior est. Incisio caderum in variis graviditatis temporibus , partus prematuri demonstrant caput Fœtûs ferè semper per omnem graviditatis decursum niti orificio uteri , quod fortè à graviditatis centro de promere non absolum est : huic causæ succenturiatur trunci & capitinis mutata proportio , quâ fieri necesse est corpus Fœtûs itâ locari ut ejus pars latior , putâ nempè truncus , occupet uteri fundum , caput autem collum. His radicitus evertitur commentitia quorumdam ad septimum mensem Fœtûs inversio , quæ præconcepta opinio , hinc potissimum derivanda est , quod ante sextum mensem , pars digito occurrens inter tangendum , ægrè dignoscatur. Hæc ambigua diagnosis etiam post septimum mensem interdùm perstat : oritur ab incrementi & evolutionis uteri ratione , quâ collum pertinaciùs huic dilatationi resistit. Hinc fit , quod caput Infantuli , etsi ad apicem versus , ab exploranti digito longius distet , quâm ut deprehendi valeat. In septimo mense , apex coni magis atque magis patulus evadit , & caput digito vel alia Fœtûs corporis pars occurrere sinit ; hinc facile est eruere collapsus rationem , quo Prægnantes Fœtuli inversionem jam factam prædicant , atque vividiorum motuum Infantuli causam.

*De aquarum Formatione.*

Hæc vox, *aquarum Formatio*, audit membranarum in orificio uteri processum, & dicuntur perfectæ cùm dilatatio orificii uteri majoris nummi argentei circumferentiam multò superat: tunc membranæ veniunt in formâ *follis chimici*. Quandò sic configuratæ, si uteri orificium est molle, facilè pressioni obsequiosum, solitum est has dilacerare membranas, eas comprimendo plus vel minus digito, dum aliquâ uteri contractione laborat Parturiens. Si orificii limbi difficilè obsequantur contractionibus uterinis, expectetur dùm vi laboris dilacerentur, nisi infaustum omen pattum arte absolvendum suadeat. v. g. sanguinis profluvium, motus convulsivi, &c. Satiùs est inexpertum Obstetricantem naturæ quâm sibimet membranarum dilacerationem committere, ni in precipiti res versentur. Harum autem dilacerationem ars quandoque operosè exequitur: hæc difficultas à densiori compage, & sæpiissimè ab adhæsione placentæ ad orificium uteri pendet: hinc ex majori vel minori quâm inter dilacerandas membranas experimur difficultate, suspicari licitum est majorem aut minorem placentæ ad orificium uteri viciniam. Membranæ orificio occurrentes, persæpè figuram intestini, plus minusve crassi referunt, ratione habitâ dilatationis orificii uteri, quæ pendet à facilitate quâ obedient membranæ, ut in plerisque appetit Parturientibus, & à difficultate quâ orificium uteri contractionibus cedit. Ex hac membranarum conformatione, nihil ad Fœtus situm ritè conjectari licitum est, licet quidam in contrariam partem disputerent.

## X.

*De Signis quibus dignoscitur an Infans sit vivus, an vero mortuus in utero.*

**SIGNA** quibus declaratur Infans vivus in utero, alia per graviditatis decursum apparent, alia instanti labore partoritio, quæ omnia vel rationalia sunt, vel tactu capiuntur.

Rationalia quæ per graviditatis decursum observantur, quibus ad præsagiendam vitam Fœtus ducimur, sunt Prægnantis prospera valerudo, hilaritas, incrementum abdominis continuum, motus Fœtus in utero, quibus parùmper moventur initio quarti vel quinti mensis; nam rari sunt motus Fœtuum in utero, vel ante hoc tempus nimis leves, ut eorum Prægnantes consciæ fiant: in quibusdam tardius, in aliis nusquam vigent. Sunt Fœtus qui tantâ vi uterum concutiunt, ut Gravidæ molli ac delicata corporis constitutione præditæ, in motum

convulsivum abeant, & animo deficiant. Motus quibus se angi dicunt Mulieres, sunt signa rationalia Obstetricanti, nisi appositâ manu in uteri regione, sentiat vel videat ita Fœtum commoveri, ut tunicæ vel alia Prægnantis abdomini superposita exagitentur. Embryulci manus nunc calidior, nunc frigidior abdomini superducta, sæpè hos motus etsi leves persentiet. Si id negotii motiones Fœtus non suscitet, digitum per vaginam usque ad uterum producet Obstetricans: tentabit agitare Fœtum, uterum sublevando; & alterâ manu abdomini positâ, animadvertiset nûm Fœtus aliquo motu agitetur independenter à pressione, quam cum dîgo exequitur in parte uteri & corporis Infantuli, apertræ pelvis superiori respondente. Sæpè fit ut Embryulcus observet motus Infantuli, quos non sentit ipsa Mater. Inter palpandum, elabente septimo, octavo, nono mense, sæpè observandum venit motus Infantuli dîgo per vaginam ad uterum, & hoc mediante ad Fœtum impæcto, suscitatos, Matre nesciâ, fieri. Motus factitii iidem sunt ac illi qui in gravidis peraguntur, & qui per earumdem motiones à gravitate ipsiusmet corpusculi oriuntur; hinc eruitur Matrem hos solummodo motus persentire quos Fœtus ipse determinat & exequitur.

Rationalia signa quibus cognoscitur Fœtum vitâ frui, labore partoris instanti, oriuntur ex prosperâ valetudine Matri per graviditatis decursum, & præsertim de eo omni quod evenit in partu: hæc confirmantur motibus Fœtus quos experitut Embryulcus manu ut in præcedenti casu appositâ regioni abdominali. Cùm membranæ disruptæ sunt, his signis addendæ pulsationes arteriarum præcipuarum, quæ ab exteriori capitis Fœtus parte veniunt, quæque ab Embryulco sentiuntur, pertractando partem capitis appositam: nec persentientur fontanellæ motus, ut plerisque placet (a). Pulsatio funiculi, cùm dîgo venire potest, Fœtus vitam confirmat. Si Obstetricans cogitur introducere manum in uterum, vitam etiam tentabit Infantuli, cordis pulsatione, quam sentiet dîgo immittendo in regionem quam occupat, vel in ore Infantis motus linguae sentiet, & præsertim conatum quo tentat Infantulus inferiorem maxillam ad superiorem ducere, quin velit fugere, ut plerique contendunt. Quandò partes molles

(a) Cùm digitus adaptatur fontanellæ, pulsatio creditur sentiri quæ eadem est ac illa quæ persentitur adaptatione dîgo in gibbis parietalibus, vel in quâlibet capitis parte in quâ non sunt arteriæ. Hæc pulsatio ab arteriis dîgo Obstetricantis venit. Si quandòque motus quidam in fontanellâ, tactu percipitur, tribuendus est actioni crotaphitarum, &c. Idem invenit, experimentis confirmavit & docuit in consilio obstetricio legali, quod mecum communicavit D. Peyrilhe, Doctor Medicus, scholæ Magister & Acad. Scien. Tolosanæ Socius. Triplicem autem erroris causam assignavit: 1º motum malæ superioris, quâ in consortium trahuntur quatuor anguli ossium in hunc fontem desinentium, ex parte Fœtus vivi: 2º capitis emphysema in Fœtu denato: 3º ex parte Obstetricantis, arteriam explorantis dîgo, vel forsan arterias, margines colli uteri perreptantes.

CVS292

Fœtui perlustrandæ, contractionibus uterinis difficilè cedunt, (a) aut quandò arctior est pelvis relativè ad volumen capitis Fœtūs , pars cutis crinitæ quæ respondet orificio , tumeuit, si Fœtus vitâ fruat. Hoc signum adeò certum , quod tumor augeat ratione temporis laboris partoritii. Cùm autem hic tumor pendet à resistentiâ superioris aperturæ pelvis , minuitur cùm gibbi parietales supergressi sunt hanc aperturam , & cùm orificium uteri cessat comprimere cutim capillosum , quod satis est ut depressio tumoris fiat , quin mors Fœtūs ex eo possit inferri. Nec credas tumorem de quo nunc sermo fuit , illum , quem in cuti pilosâ Fœtuum diù ante partum defunctorum sentire videris. Signa quibus certè percipias vel alicetis quod nunc dicimus , veniunt palpando caput Infantuli paulò post membranarum rupturam : cutis pilosa videtur magis crassa quam naturâ esse debet. ( Symptoma quo statim deneges caput objici , sed potius clunes aut quamlibet aliam partem. ) Si tunc orificium difficile cedit , tumor supervenit ; ex quo dijudices Puerum vivum , etiamsi à longo tempore morte extinctus sit : in illo casu tumor non est æquè durus vel æquè tensus ac in primo ; cùm comprimitur , in pristinum redit statim tardius , impressionemque facit in digito . quam diligens Obstetricans facile deprehendet. His signis addas , quod si manum imponas capiti Fœtūs , ad suturas calvariam comprimas , ossa illius cedere credas & deprimi facilius quam cùm vivit Fœtus. Hic status cognoscitur frictione laterum oscularorum quandò comprimuntur , & quia alia aliis facile perfricantur.

Signa quibus mors Fœtūs præsigitur per graviditatis decursum , sunt ipsiusmet inertia Fœtūs , morbi tām acuti quam chronici quibus torquetur Mulier , facies plumbea , livida & lutea , oculi excavati , circumfossi , spiritus fœtidus & difficilis ; capitis dolores , aurium tinnitus , animi defectus frequentes , & virium Prægnantis debilitatio , dimotio uteri versus partem quā jacent Gravidæ , cessatio incrementi abdominis , motuumque Fœtūs qui debiles fiunt , ultimum gestationis terminum accedendo ; denique cessatio omnimoda ipso-rummet motuum quæ in quibusdam anteceditur motibus incognitis : hi forsitan sunt convulsivi , vel naturâ eorum quos patitur Infans dum vitâ fungitur. Fit etiam in plerisque Prægnantibus , elapsis duobus aut tribus diebus post novissimos motus , ut fororientur mammæ non secūs ac post partum evenire solitum est. Hoc non est tamen signum absolute certum mortis Fœtūs : hoc testis vidi evenire in plerisque Mulieribus quæ enitebantur Pueros vitâ tamen debili fruentes Attendum est hanc uberum turgescientiam non confundere , cum illâ qua-

(a) Tumores cutis pilosæ sèpius pendent à resistentiâ orificii , quod patet immisione digiti intra limbos hujus orificii & Fœtūs caput. Hoc negotio observatur partem cutis pilosæ quæ orificium supervenit , esse unicam tumore turgidam.

à succione præparatoriâ oritur. Ne his præparationibus assuescant Prægnantes, nisi absoluta lactandi impotentia ex pravâ papillarum conformatioне immineat: res enim non vacat periculi. Vidi unam ex illis à sposo suetam in octavo mense, cuius mammæ adeò turgidæ, ut axillæ, parsque posterior humeri eodem modo tumefactæ fuere, quo tumefiunt post partum, febri vulgo lacteâ dictâ. Decocatum plantarum diureticarum, infusio florum sambuci cum dragmâ & semi salis Glauberii per pintam, Morbidæ data potu communi, & diæta, hujus infausti eventus, per septem vel octo dies remedia fuere. Mulier quinque hebdomadis elapsis, validum generosumque enixa est Infantulum.

Phænomena jam superiùs allata, vel absentia eorum quibus cognoscitur Fœtum vitâ frui, præcisè sunt tantum signa quibus mors Fœtûs suspicari potest; itâ ut non possis, nisi per modum eis stare plus aut minus, prout illa omnia symptomata gravi vel levi possunt esse pondere. Quæ mortem Fœtûs confirmant, & quæ ope tactûs cognoscuntur, sunt cessatio omnimoda pulsûs funiculi, & corporis Infantuli putredo (*a*). Hæc appetit humoribus ex uteri cavo ortis, præsertim separatione epidermidis, & facilitate quâ partes ossæ calvariæ, quandò orificii uteri respondent, aliæ aliis adfricantur. Notandum interdùm, quod si epidermis sublevetur è parte Infantuli in uteri orificio propendente, ut *v. g.* ex unâ extremitate, aut ex parte cutis pilosæ tumefactâ vel circumscriptâ, hoc non esse signum certum mortis Fœtûs. Infelix docuit experientia, difficile, si unquam, judicium esse. Liquores ex uteri cavo erumpentes fœtidí, odorem cadaverosum fundentes, absentia pulsûs in brachio foras educto tumefacto, epidermidis separatio, &c. pluriès fecellerunt Obstetricantes qui mortuos habuere, atque dilaniavere plenos vitâ Infantulos, passisque ærumnis superstites. Cautè te geras, ni certâ certior sit Infantis mors, aut suprema Matris dies luceat, ni adsit maxima supradictorum summa, quæ mortuum declarat Fœtum, ut citò citius è gremio educatur.

## X I.

*De Utero obliquo.*

**OBLIQUUS** dicitur uterus, cùm ejus axis divertitur ad angulos plus

(*a*) Infelici sorte evenit quod scepis signa quæ certè demonstrant putredinem Fœtûs, non appareant, nisi cùm artis auxilia quam optimè adaptata, non posseunt vita Matris periclitanti inservire: invitis tamen his omnibus signis evidenteribus, Embryulcus non committet naturæ vicibus Parturientem: Etenim recte annotat clarissimus Lamote, naturam arte adjutam effectus suppeditare insperatos & mirabiles.

aut minus ad rectum accedentes pelvis, quod fieri potest inclinando ad dextram vel ad sinistram, antrorsum vel retrorsum, quam propotione partus approximat. Intestina tenuia compulsa ad unum aut alterum latus abdominalis, dextrorsum aut sinistrorsum, uterum reclinant. Angulus prominens connexione ossis sacri cum columnâ vertebrali efformatus, obversusque uteri faciei posteriori, alii vel alteri directioni favet. Si uteri fundus frequentius inclinetur ad dextram, & orificium ad sinistram, tribui potest mesenterio cui tenuia intestina alligantur: hujus autem dispositio talis est, ut à parte dextrâ ad sinistram tendat; undè hæc viscera ex naturâ suâ sèpius feruntur in latus sinistrum. Primis mensibus graviditatis, intestinum rectum plerumque cogit uterum ferri proprio pondere in latus dextrum. Cùm intestina dividuntur in duos fasciculos circumcircà æquales, quorum unus ad sinistrum, alter ad dextrum collocatur, uteri axis sequitur directionem axis pelvis, cæteris paribus remanentibus. Sed si fasciculus intestinalis collocetur intra uterum & columnam vertebralem, abdominalis facile cedentibus musculis, hujus organi fundus antrorsum inclinatur, & ejus orificium retrorsum. Obliquitas fundi uteri ad columnam vertebralem debet esse rara; sed tamen quandòque in praxi videnda præcipue pendet à resistentiâ muscularum abdominalium, & altæ projectionis quæ articulationi columnæ vertebralis cum osse sacro debetur. Semel hanc & iterum vidi obliquitatem in quarto & in quinto graviditatis mense: sed in utroque aderat ingurgitatio seu tumor intrâ collum uteri & intestinum rectum, quo orificium oris tincæ in faciem ossium pubis pellebatur. Notandum insuper in omni obliquitate laterali, uterum esse quasi torsum; undè v. g. quandò uterus est fundo obliquus in latus dextrum, orificium in sinistro positum, tuba Fallopia sinistra magis antrorsum, dextra verò magis retrorsum posita est. Hanc distortionem tribuit illustrissimus *Levret* adhærentiæ placentæ parti sinistre & anteriori matricis. Talis placentæ positio huic torsioni favere potest, quamvis præcipue debeat positioni intestinorum tenuium in latere sinistro.

Experienciam constat uterum esse quandòque obliquum ad dextrum per suam partem superiorem, etiamsi placenta adhæreat parieti laterali sinistro. Idem etiam fit in plerisque Mulieribus in latere dextro assuefactis recumbere; undè concludendum, adhesionem placentæ tali vel tali puncto uteri, habitumque recumbendi hoc vel in illo latere, favere tantum situi matricis procreato locatione tenuium intestinorum in cavitate abdominali. Si, ut contendit *Deventer*, obliquitates uteri infaustum causant partum, sinister hic eventus pravis Fœtūs positionibus præcipue debetur. Nullus Embryulcorum non observavit tantam quandòque uteri obliquitatem, ut ante laborem, vel etiam ineunte labore, ad os uteri pertingere nullo negotio licuerit, quique, dum-

modò Fœtus congruè situs sese objecerit, partum felicissimum pluriès non mirati fuerint. Ut res exemplo lucidior evadat, ponamus Fœtum apice, capite nempè in pectus prono, in ileum sinistrum nitente, prospicientem connexionem ilei dextri cum sacro, uteri fundus obliquus sit ad dextrum, & orificium ad sinistrum; hæreat insuper Fœtus ad margines interiores ilei sinistri; quæ positio eadem est ac figura vigesima *Deventeri* (a), quo posito, vix aquæ erunt effluxæ, cùm caput dilabetur in cavitatem pelvis inferioris, & ducetur ad tertiam speciem 1<sup>i</sup> generis, 1<sup>ii</sup> ordinis 1<sup>e</sup> classis. Si è contrà Fœtū facies posterior obversa est articulationi ilei dextri cum osse sacro, facies anterior ad sinistrum & anttorsum, Fœtū caput paulò flexum in ejus faciem posteriorem, nixumque in ileum sinistrum, vix aquæ profluerint, cum contractionibus uterinis, caput magis ac magis in dorsum flectetur; undè pars virium uterinarum in ileum amittetur. Si tunc caput Fœtū, ratione obliquitatis ilei sinistri, in cavitatem pelvis dilabitur, ossa coronalia respondent uteri orificio, quod magis ac magis ad centrum verget. Vires uterinæ diutiùs protractæ in Fœtū corpus secundum eamdem directionem, cogent posteriorem cipitis partem magis ac magis flecti in dorsum; tandemque faciem Fœtū uteri orificio objicient, undè infaustus partus, nisi exercitata manus opem ferat.

## X I I.

*Synopsis Partuum.*

PARTUS absolvitur 1<sup>o</sup>. solis Parturientis viribus: 2<sup>o</sup> Obstetricantis manu, præsentibus vel absentibus Parturientis viribus: 3<sup>o</sup>. Obstetricantis manu instrumento armatâ, cum vel absque Parturientis viribus,

Cùm partus sit unius alteriusve fœturæ ex uteri cavo exitus, dividatur necesse est pro ratione modorum generalium quibus naturà vel arte absolvitur. Tres ideo statuendæ veniunt partum classes. Prima, hos comprehendit partus qui solis Parturientis viribus: secunda, qui Obstetricantis manu, unâ vel absque viribus maternis: tertia, qui non solum manu Obstetricantis, sed etiam instrumento, præsentibus vel absentibus viribus maternis, peraguntur; quæ nostra divisio ut lucidiori sub sole veniat, quamlibet classim in ordines, genera, species dividemus, connotando varietates quæ persæpè species complicant.

. (a) Traduction de Deventer par M. d'Ablaincourt, page 223.

## XIII.

## SYNOPSIS GENERALIS CLASSIUM.

*Classis prima vel Partus solis viribus maternis absoluti :  
Partus naturales Autorum : Partus faciles Astrucii , &c.*

*Hujus classis partus in duos ordines , durationis laboris  
partoritii ratione habitâ , dividuntur.*

## ORDO PRIMUS.

In priori ordine comprehenduntur partus qui terminantur intra spatiū 6 , 12 , 15 , 18 & 24 horarum.

## ORDO SECUNDUS.

Posteriori , partus qui diutiūs protrahuntur , quicumque sit laboris tenor , adscribuntur.

## GENERA.

Genera constituuntur ratione regionum quas Infans orificio advertit , dūm Parturiens viribus propriis exoneratur. Etsi observatio commons-tret Parturientes in omni Puerorum situ versūs orificium uteri , illis exoneratas fuisse , quatuor tantūm in primo ordine , & totidem in secundo , genera comprehendemus.

## GENERA PRIMI ORDINES.

In primo genere , superius capitīs ovatum , aut quatuor ovatorum calvariæ conjunctio occurrit.

In secundo , pedes.

In tertio , genua.

In quarto , clunes.

Diligens Obstetricans nunquām solis maternis viribus dabit hæc tria postrema genera partuum , etiamsi horum species quandōque solis viribus maternis possint absolvī. Quod si hæc genera in primâ classe collocamus , id factum voluimus ut in eâ consignarentur species autorum , in quibus solis atque individuis viribus se Matres exoneraverunt , dūm Fœtus uteri orificio , hanc vel illam regionem protendebant.

Species in generibus statuuntur ratione sitūs peculiaris regionis quam orificio uteri advertit Infantulus. Hi situs possent esse multiplices , sed numero sex illos complectimur primo genere , & quatuor quolibet

alio , cæteris sitibus cujuscumque regionis plus aut minus ad suprà dictos accendentibus.

Varietatis nomen damus variis casibus vel morbis , quibus Mater vel Infans , vel uterque simul laborant ; ut morbi tūm acuti , tūm chro-nici , hæmorrhagiæ , motus convulsivi , tumores , vel alias quivis morbus labia , vaginam , uteri collum occupantes , funiculi , brachii Fœtūs præsentia , morbi , mors , &c.

### O R D O S E C U N D U S .

In secundo ordine , partus qui extrà tempus præfixum 24 horarum protenduntur , comprehendendi sunt : hujus ordinis genera , eadem sunt ac præcedentis , non secùs ac species quæ eisdem varietatibus complicari queunt. Sufficiat admonere , Embryulcum prudentem nunquam solis maternis viribus committere debere trium postremorum generum species.

### X I V .

*Secunda classis vel partus qui absque auxilio manūs Obstetricantis absolvi non possunt. Partus contranaturales Auctorum , laboriosi quorumdam , difficiles Manningham , Roedereri , Astrucii , Smelii , &c.*

Regiones corporis Infantuli quæ uteri orificio occurunt , horum partuum cause sunt frequentiores , ideoque dividenda hæc classis in quatuor ordines , propter quatuor Infantuli superficies.

### P R I M U S O R D O .

In primo ordine non solum sex regiones faciei anterioris Infantuli ponendæ sunt , sed etiam pedes & ovatum calvariax superius , ex quibus octo hujus ordinis genera oriuntur.

### G E N E R A P R I M I O R D I N I S .

In primo genere erit extremitas inferior Infantuli sive pedes ; hancque ideo primo ordine collocamus , quod sæpissimè pedes ad orificium uteri deducendi sint ad partus perficiendos.

In secundo , extremitas superior , vel ovatum capitum superius.

In tertio , ovatum anterius , vel facies propriè dicta.

In quarto , facies colli anterior.

In quinto , pectoris facies anterior.

In sexto , anterior abdominis facies.

In septimo , pelvis antica pars.

In octavo , genu vel genua.

ORDO SECUNDUS .

## O R D O S E C U N D U S.

In secundo ordine collocandi partus qui locum possunt habere , cùm Infantulus aliquâ regione faciei posterioris obviâ occurrerit. Hic ordo dividi potest in quinque regiones , ex quibus totidem genera exurgunt.

## G E N E R A S E C U N D I O R D I N I S.

In primo erit occiput , vel conjunctio quatuor ovatorum ex quibus calvaria conflatur.

In secundo , colli posterior facies.

In tertio , pectoris posterior facies , sive dorsum.

In quarto , abdominis posterior facies , sive lumbi.

In quinto , clunes.

## O R D O T E R T I U S.

Tertius ordo complectitur omnes partus in quibus Infantulus objicit aliquam ex regionibus faciei lateralis dextræ , quæ subdividenda est in quinque regiones , undè quinque genera exurgunt.

## G E N E R A T E R T I I O R D I N I S.

In primo , ovatum laterale dextrum venit.

In secundo , colli facies lateralis dextra.

In tertio , axilla dextra.

In quarto , pars lateralis dextra thoracis & abdominis.

In quinto , dextra coxa.

## O R D O Q U A R T U S.

In quarto ordine sunt partus , in quibus Infantulus aliquam è regionibus faciei lateralis sinistre objicit. Hic eodem modo ac ordo superior est subdividendus.

Regiones quæ constituunt genera ordinum mox conscriptorum , se orificio offerre possunt , in quatuor præcipuis sitibus : secundum genus , quod est primum primæ classis in sex ; undè in quocumque genere cuiuslibet ordinis statuuntur species quatuor , & sex in secundo genere primi ordinis secundæ classis. Varietates sunt hæmorrhagiæ , motus convulsivi , funiculi umbilicalis , brachii prolapsus , tumores omnis ordinis , debilitas Matri , Infantuli , ejusdem mors , &c. alia omnibus generibus communes , aliaæ his vel alteris propriæ.

## X V.

*Tertia Partuum Classis, sive Partus qui absque instrumento  
absolvi nequeunt. Hac Classis, propter instrumentorum  
genera quibus est utendum, in quatuor ordines subdivi-  
denda.*

## ORDO PRIMUS.

PRIMUS ordo complectit omnes partus qui ægrè perficerentur absque laqueorum auxilio.

## GENERA.

Laquei, quatuor Infantuli regionibus adaptantur; ideòque in quatuor genera dividetur hic ordo; quodlibet genus in quatuor species. Eadem autem sunt in illis varietates ac in speciebus primæ ac secundæ classis.

Primum genus pedes complectitur.

Secundum, genua.

Tertium, clunes.

Quartum, caput Fœtūs utero inclusum, truncō avulso.

## ORDO SECUNDUS.

Secundus ordo continet partus, qui faustè absolvi non possunt Parturientis beneficio, aut Infantuli, aut utriusque, sine forcipis aut vectis Ronhuischii emendatæ, aut volsellæ Levreti auxilio. Regiones quibus hæc instrumenta apponi queunt, sunt genera. Situs peculiares earumdem regionum, sunt species. Varia accidentia, quibus complicantur species, constituunt varietates quarum præsentia horum instrumentorum applicationi locum dat.

## GENERA.

Primum genus, ovatum capitis superius designat.

Secundum, ovatum inferius, seu calvariae basim.

Tertium, ovarum anterius, vel faciem propriè dictam.

Quartum, conjunctionem quatuor ovarorum, quæ constituunt calvariam seu occiput.

Quintum, ovatum laterale dextrum.

Sextum, ovatum laterale sinistrum.

Septimum, clunes.

Octavum, spuria germina, seu Fœtus abortivos.

## O R D O T E R T I U S.

In tertio ordine ponuntur partus, qui perfici non possunt sine instrumentorum secantium in corpus Fœtūs, cæsim vel punctum actorum adjumento. In hoc ordine constituuntur etiam genera ratione regionum, quas Fœtus offert, & quibus admoventur instrumenta. Situs etiam peculiaris facit species. Varietates eadem sunt ac in speciebus ordinum præcedentium.

## G E N E R A.

Primum, caput Fœtūs, corpore adhuc in utero inclusō.

Secundum, caput super aperturam superiorem vel inferiorem pelvis detentum, trunco avulso.

Tertium, Fœtūs abdomen à quacumque causâ enormè tumens.

Quartum, pectus aquâ vel pure distentum & ampliatum.

Quintum, monstruositates Fœtūs rescindendæ, ut ex utero possit avelli.

Sextum, cùm funiculus quibusvis Infantuli partibus, ita intortetur, ut ex utero excludi non possit quin dilanietur, constituunt.

## O R D O Q U A R T U S.

Quarto ordine inscribendi omnes partus, qui perficiuntur acie instrumentorum, cæsim vel punctum impingentium, ut Fœtūs ex uteri cavo eductioni parentur viæ. Hæc autem sunt cultri anatomici, forcipæ, scapella, &c. Casus autem in quibus hæc instrumentorum acie in corpus maternum operandi locus est, dividi possunt in tria genera, quæ statuuntur ratione morborum tūm acutorum, tūm chronicorum, vel ratione pelvis arctæ conformatiōnis, vel positionis Fœtūs alio in loco quam in uteri cavo.

## G E N E R A.

Primum genus excipit tumores inflammatiōis.

## S P E C I E S.

Primam speciem facit phlegmon.

Secundam, erysipelas.

Tertiam, tumor ex præcedentibus compositus.

Secundum genus complectitur tumores chronicos.

## S P E C I E S

Primam speciem facit œdema.

Secundam , steatoma , atheroma , meliceris.

Tertiam , scirrus.

Quartam , tumor sanguine effuso natus.

Quintam , tumor sanguine propriis canalibus inclusus , efformatus.

Sextam , fræna morbosa vulvæ & parietum vaginæ.

Septimam , callositates , cicatrices , adhærentiæ labiorum , parietumque vaginæ.

Octavam , orificii interni status quem Autores , orificio quasi cartilaginosum , scirrhosum , dixerunt.

Tertium genus complectitur casus , in quibus instituendæ sunt incisiones in corpus maternum , ut detur corpusculi vel ipsius frustulorum exitui locus.

## S P E C I E S.

Primam speciem constituit necessitas secandi musculos abdominis & uterum maternum , ut ex illis eruatur Infans.

Secundam , institutio ejusdem operationis in musculos abdominis , ut ex ovario vel ex tubis Fallopianis Fœtus educatur.

Tertiam , incisio facta in musculos abdominis ad extrahendum Fœtum ortum in quolibet alio puncto cavitatis abdominalis , aut in illam , rupturâ uteri vel ovariorum , vel tubarum , delatum.

Quartam faciunt apostemata quæ superveniunt post conceptiones tum uterinas tum ventrales , quæque situm habent variis in regionibus abdominis , aut in pelvi : horum apostematum situs & pleraque accidentia indè nata , sunt ejus speciei varietates.

## X V I.

## P R I M A C L A S S I S.

*Partus solis viribus maternis absoluti : Partus naturales  
Autorum : Partus faciles Manningham , Astrucii , Roedereri , Smelii , &c.*

## O R D O P R I M U S.

*Caract. Caracteres hujus ordinis ex Parturiente & Fœtu desumuntur.  
Si primâ vice parturiat , 1° desiderandum est ut nec junior nec yetula*

fit; 2º quod pelvis aequis exurgat proportionibus; 3º quod partes molles viam Fœtui daturæ, sint laxæ, dilatationique aptæ; 4º quod uterus sit benè locatus; 5º quod dolores sint veri, & ex genere efficacium, non nimis intermissi, & ab artis auxilio independentes; quodquâ proportione agunt, orificium, vagina, & tandem vulva magis ac magis dilatentur; quod membranæ aut Fœtûs caput in pelvis cavitatem pellantur. Ex parte Fœtûs 1º requiritur anteire capitis ovatum superius aut calvariæ quatuor ovorum conjunctio, aut saltem pedes, genua, aut clunes; 2º Fœtûs volumen aperturæ tum superioris, tum inferioris diametros non superare; 3º quandò caput devenit ad pelvis sinum inferiorem, id tali vel tali incessu procedere, relativè ad locum hujus sinûs quem attingit hæc vel illa capitis regio. Idem observandum quandò humeri ad superiorem vel inferiorem pelvis aperturam pertingunt; tandem quod partus intra spatiū viginti quatuor horarum, ad summum, absolvatur.

## X V I I.

## P R I M U M G E N U S.

**Caract.** Primus character est præsentia capitis, quæ agnoscitur volume, duritie, suturis. Hi characteres quibusdam aliis regionibus communes sunt. Fontes superiores, sutura sagittalis, lambdoidea, coronalis, pars superior ossium coronarium & occipitalis, superior parietalium, designant ovatum superius, seu regionem capitis superiorum. Punctum hujus regionis, apex capitis dictum, vel fons posterior, aquis effluxis, centro pelvis respondet. Hi characteres qui tactu solùm cognoscuntur, non rectè attinguntur, nisi ruptis membranis.

**SPECIES PRIMA.** *Caract.* In hac specie sutura est posita secundum directionem diametri anterioris; fons posterior ad symphysim pubis; anterior ad os sacrum; sutura lambdoidea anticè & inferius coronali, quæ posterior & paulò altius sita est. Hæc capitis Fœtûs positio in aperturâ pelvis superiori, adeò rara est, ut eam vix temel aut iterum intrà viginti partus invenias. Hanc tamen ferè omnes Autores maximè frequentem dictitant.

*Modus quo in primâ specie Fœtûs caput incedit, ad pelvim supergrediendam.*

Ut lucidè pateat mechanismus, quo Fœtûs caput incedit, cum obviū it in hac positione, animadvertendum 1º extremitates, truncum

& caput in modum ovatum configurari , cujus diameter major ab apice capitis ad clunes protenditur ; 2º Articulationem trunci cum capite , vicinorem esse extremitati posteriori ovati inferioris , quā mento , & faciliūs in faciem anteriorem , quā in posteriorem , flecti ; 3º occiput levigatum magis , minusque extensum esse vultu ; 4º Fœtus truncum flecti in faciem anteriorem , quæ columnæ vertebrali Parturientis obversa est , dūm posterior symphysi pubis proficit . Vires uterinæ quæ Fœtum sic positum agunt , hujus columnæ vertebrali communicantur , quæ partem posteriorem capitis trudit , eodem tempore quo basis maxillæ superioris accuratiūs impingit in proprium pectus . Dūm contractiones uterinæ urgent caput in pelvim , notandum fontanellam posteriorem magis magisque ad pelvis centrum accedere ; quod evenire nequit , quin facies uteri fundo obvertatur , minimè verò ossi sacro , ut plerique contendunt . Caput procedit in hac directione retrorsū vergendo , donec in punctum quo facies sacri incipit antrorsū flecti , venerit . Progreditur deinde juxta directionem partis inferioris sacri , usquedūm ligamenta sacro-ischiatica , coccygem , perinæum attigerit ; tuncque osse sacro , coccyge , dictisque ligamentis reflexum , arcum pubis subit . Cùm huc deventum est , fons posterior anticè locatur ; coccyx & perinæum deorsū urgentur . Hæc evenire non possunt quin facies colli posterior pubis symphysi occurrat . Si tunc contractiones uteri persistent , pars virium in symphysis pubis amittitur ; pars reflectitur in fontem anteriorem & mentum . Pars virium reflecti nequit in fontem anteriorem , & tandem in mentum , quin facies modò uteri fundo obversa , ad faciem anteriorem sacri accedat . Hæc verò celeriūs atque faciliūs in sacrum vertitur , quò occipitis sub arcum pubis detrusio facilior . Vix arcum pubis occiput oecupavit , cùm contractiones uterinæ mentum urgentes , illud cogunt ad commissuram vulvæ anteriorem sese attollere , dūm caput hoc in situ sese explicat . Demùm earumdem potentiarum actione , caput omnino expeditur è vulvâ , facie in anum versâ . Trunci Fœtus major diameter , quæ ab humero ad humerum desumitur , respondet parvo diametro aperturæ inferioris ; undè caput extrà vulvam hærebit , nisi humerorum alter antrorsū , alter retrorsū feratur , vultusque alterutrius humeri directionem sequatur . Hâc sitûs mutatione , major diameter trunci , majori aperturæ inferioris diametro coït . Ex jam allatis facile liquet , quòd si uterus & Fœtus esent antiorsū obliqui , dūm caput aperturam superiorem pelvis subit , vires uterinæ niterentur in partem anteriorem ovati inferioris , undè obvium veniret ovatum superius ; itâ ut fons anterior magis ac magis descenderet versùs faciem posteriorem pelvis , dūm posterior videretur quodam modo ascendere versùs uteri fundum ; undè descensus capitinis in cavitatem pelvis inferioris difficilior evaderet . Huic abigendæ remoræ utiliter inservit situs Matris in dorsum ,

cujuſ beneficio uterus atque Infantuli corpus, quæ nimis antrorsum tenebant, directionem mutant. Hinc haud raro potens, accelerati partus causa in ſuprà laudato Matriſ ſitu. Cùm caput coccygi perinæo nititur & hæret, momentum virium imminuitur, quia in symphyſim pubis impingunt. Hanc jubeas Prægnantem incedere, ſi vires finant: mox uterus corpus calumque, niſu uterino in partem anteriorem ovati inferioris arietante, antrorsum deferuntur. Tale artificium opportunè adhibitum, mirum, quantum & ſuprà omnem ſpem in abſolvendo partu celeritatis conferat.

**SECUNDA SPECIES.** *Caraçt.* Directio ſuturæ ſagittalis quæ, ab anteriori ad posteriorem, & ab altâ ad imam partem dicitur, fons anterior ponè oſſa pubis, fons posterior ad os ſacrum, hanc ſpeciem declarant.

Modus quo incedit caput in hac ſpecie, talis eſt ut Fœminâ ſtante, uterus & corpus Infantuli antrorsum inclinent. Occiput in cavum pelvis inferioris anteit, caput tandem attingit apicem oſſis ſacri, coccygem & perinæum. Cùm hūc deuentum eſt, pars superior coronalium arcui pubis reſpondet; quod facilè cognitu eſt præſentiā fontis anterioris versùs faciem internam pubis. Pars superior parietalium, quæ angulo reflexo anteriori reſpondet, eum ſubterlabi nequit, ut occipiti evenire in præcedenti ſpecie ſuprà declaratum eſt. Cùm caput coccygi & perinæo nititur, hoc in ſitu, niſi pelvis dimensiones amplè ſuperent capitis volumen, vigeatque uterinum conamen, ægrè aut nunquām ſe propriis viribus Prægnans exonerabit.

Notandum quòd in partibus hujusce ſpeciei abſolutis ſolo niſu uterino, non raro perinæum diſtrumpi, ni caput Fœtū ſit parvum, & coccyx valdè retrorsum flexus, & perinæum facilè cedens. Hæc capitis positio iisdem difficultatibus obnoxia eſt, quibus in vitio quod ex nimio pubis ad infimam oſſis ſacri regionem deſcenſu exurgit, quod vulgo audit *Bassin Barré*.

**TERTIA SPECIES.** *Caraçt.* Sutura ſagittalis, quæ ſequitur directionem diametri obliquæ à ſinistrâ ad dextram, fons posterior à ſinistrâ & antrorsum, anterior à dextrâ retrorsum, auris dextra Fœtū à dextrâ antrorsum, &c. hanc ſpeciem demonstrant.

Non abſimili modo incedit caput in hac poſitione, ac in primâ ſpecie uſquedum occiput, coccygem & perinæum attingat. Hæc porro intervenit differentia, quòd fons posterior, quæ deſcendit ponè pubem, accedendo ad centrum pelvis, quâ proportione labor partorius ad finem tendit, in hâc deſcendat à ſinistrâ ad dextram, & indeſinenter versùs centrum pelvis. Cùm ſemel caput ſacrum, coccygi & perinæo occurrit, his ſiſtitur repagulis, cùm ultrà, hâc in direktione, procedere nequeat. Quo paſſu caput intrâ pelvim delapſum eſt, eodem ad arcum pubis propulſum fuit; tunc pars ferè media & posterior oſſis

parietalis dextri, immēdiatē respondet excavationi anguli reflexi anterioris: Jam caput hāc in directione procedere deberet, quod evenire non potest, quia pars hujus ossis parietalis, quæ hæret termino superiori arcū pubis, non sinit caput ire à posteriori antrorsum. Indè fit ut contractionibus uteri validioribus, caput quod inexpugnabili vi ossis sacri, coccygis, ligamentorum sacro-ischiaticorum & spinæ ischiaticæ detinetur, rotando fugiat à sinistrâ ad dextram, versùs angulum pubis reflexum, qui minus illi obstat. Hujus motūs rationem, haud immēritò contuleris cum eâ, quâ nucleus prementes digitos fugit. Vix mutatâ capitis positione, mox contractionibus actum occiput, arcum pubis subterabitur, & tandem ex maternis compedibus emergit, eādem lege quâ in primâ specie.

Si uterus & Fœtus inclinent ad sinistram, dūm caput venit in pelvim, fons anterior adit centrum, cùm posterior retrocedit, accedendo versùs uteri fundum: diameter major capitis fit parallela, vel ferè parallela parvæ diametro aperturæ inferioris; ità ut si ejus latitudo non multū superet diametri majoris capitis longitudinem, Mater partum absque artis auxilio absolvere nequit. Ex hāc positione pendet capitis Fœtūs incuneatio quam celeberrimus *Levret* (a) tribuit positioni humerorum in sacro & in pube. Expertus Obstetricans huic occurrit impedimento, si ipso eruptionis aquarum momento, aut paulò post, Prægnantem latere dextro procumbere curet. Cùm fortè hocce negotium non sufficerit, manus tutam feret opem, uterum à sinistro ad dextrum latus molliter devolvendo. Hāc adventitiâ uteri positione citius absolvitur partus, præsertim cùm unus aut alter Obstetricantis digitus, medio coronali appositus, obstet, vel etim aliquantulum sublevet, intreà vigentibus uteri contractionibus. Hāc operâ vires uterinæ diriguntur in occiput, idque in pelvim devolvunt. Omnipotens hæc auxilia, docili impartita Parturienti, faustum ac citiorem partum moliuntur, quām ab instrumentis alijs applicandis sperare fuisset concessum.

**QUARTA SPECIES. Caract.** In hāc specie sutura sagittalis venit secundūm directionem diametri obliquæ; fons posterior & superior connexioni ilei dextri cum sacro; anterior cavitati cotoyloïdæ ilei sinistri respondet: auris sinistra est in dextro latere & antrorsum, &c.

Incessus capitis hāc in specie est idem ac in secundâ hujus generis. In hoc solūm discrepat, quod fons posterior quæ in secundâ specie sacro prospiciens descendit, accedendo ad centrum pelvis, in istâ obvertitur directioni connexionis cum ileo dextro. Si uterus inclusum-

(a) Suite des accouchemens laborieux. page ; & suiv. edit. ;

que

que corpusculum sinistrorsum & antrorsum inclinent, notandum in secundâ specie, positis mox assignatis uteri Infantulique sitibus, fontanellam posteriorem sursum agi versus symphysim pubis; quod eodem modo evenit in hâc specie versus cavitatem cotoyoïdeam sinistram. Vix caput attingit sacri apicem, coccygem & perinæum, cum media vel ferè media pars ossis parietalis sinistri respondet parti superiori anguli reflexi anterioris. Unde capit is incessus in aperturam pelvis inferiorem, æquè difficilis est eadem causâ, ac cum in secundâ specie, pars superior coronarium respondet eidem punto arcus pubis. Non raro accedit caput adeò altè in cavum pelvis propulsu, viribus uterinis validissimis instantibus, describere semi-quadrantem circuli à sinistro ad dextrum; quâ rotatione, reducitur hæc species ad secundam & quandòque ad tertiam: verùm tunc caput describit quadrantem circuli cum semisse, à dextrâ ad sinistram; hâc in specie, corpore Fœtûs & utero dextrorsum inclinatis, quod cognoscitur præsentia fontis anterioris ad centrum, & situ uteri in latere dextro abdominis; fasciculo intestinali tenuum in sinistrum latus propulso. Hujus partus felix exitus magnam pelvis aream, vigentesque nîsus requirit uterinos, quorum si alter defuerit, artem in subsidium venire absolutæ est necessitatis.

QUINTA SPECIES. *Caracteres.* Sutura sagittalis sequitur directio nem diametros obliquæ, fontanellâ posteriori versus cavitatem cotoyoïdeam dextram positâ, anteriori verò versus connexionem sacri & ilei sinistri, &c.

Incessus capit is est absolute idem, ceteris paribus, ac in tertiatâ specie: solummodo observandum, dictum mechanismum, mutatâ sede à dextrâ in sinistram, locum habere. In hâc specie caput rotatur plerumque difficilius à dextro ad sinistrum quam in tertiatâ specie à sinistro ad dextrum. (a) Hujus rotationis impedimenta pendent ab intestinali recti situ. Inclinatio uteri Fœtûsque ad dextrum & antrorsum, eadem ponit partui obstacula, quæ eorumdem inclinatio ad sinistrum & antrorsum in tertiatâ specie. Unde eisdem consiliis, aliisque auxiliis, Parturienti relativè ad situm datis, ut in specie tertiatâ, multum allaboratur ad faustum partus eventum.

(a) Pluriès observavi, præsentibus DD. Carrière, Guillon, Doctoribus Medicis, Marco Campillos, Hispano, Bodeloque, le Valleur, Cazemajou, Orelut, aliisque Discipulis carissimis, occiput Fœtûs hâc in specie adeò difficile verti à dextrâ ad sinistram, ut sœpè ex ambagibus maternis liberaretur, vultu lateri sinistro Parturientis obverlo; unde partus tardior & difficilior erat. Idem nobis observandum contigit in sponsâ Ostiarii domus vulgo *des Gobelins*, præsentibus antiquo Scholæ Præposito & Professore clar. D. Barbaut, & D. d'Estrumeau, ejusdem Scholæ Socio.

**SEXTA SPECIES.** *Caracteres.* Hâc in specie, sutura sagittalis sequitur diametros obliquæ directionem. Fons posterior sita est versus connexionem ilei sinistri cum sacro, anterior versus cavitatem cotyloïdeam dextram; auris dextra ad sinistrum & antrorsum, &c.

Incessus capitis, in hâc specie, est ad latus dextrum, quod in quartâ specie ad latus sinistrum, cæteris paribus.

### X V I I I.

#### SECUNDUM GENUS.

##### *Seu Partus Agrippini Autorum.*

*Caract.* Pedum digiti, talus, pedis solum, ejus convexitas, extremitas inferior cruris aut crurum post ruptas membranas, hoc genus denotant.

**PRIMA SPECIES.** *Caracteres.* Tali versus pubim, pedum digitis versus sacrum versi &c, hanc speciem designant.

Cùm partes molles facilè contractionibus uterinis cedunt, Infantuli corpus facili negotio sèpiùs foràs tendit, donec caput in pelvis aperturam superiorem devenerit. Tùm ad dictam aperturam labendo, directionem obliquam sumit; ità ut cùm hanc attigerit, magna diameter sui ovati inferioris accuratè coeat cum unâ alterâve diametrorum obliquarum prædictæ aperturæ. Hinc si mentum connexioni ilei dextri cum sacro respondeat, occiput fertur in cavitatem cotyloïdeam sinistram, quo repagulo pars uterini nisûs in apicem capitis transmisâ, infringitur; pars altera mentum agit in cavitatem pelvis, eò faciliùs, quò altior est, respectivè ad anteriorem, pars posterior aperturæ superioris. Tandem mentum in cavitatem pelvis truditur, capitisque major diameter, diametro pelvis majori fit parallela. Superest summa capitis ab infimo claustro, extricatio: mentum commissuram inferiorem prætergreditur, dùm occiput truncum trahendo sublevans, sub arcum pubis retrò fugit, faciem obviam mox secuturum.

**SECUNDA SPECIES.** *Caracteres.* Pedum digitii ponè os pubis, & tali versus os sacrum &c, hanc speciem declarant.

Hâc in positione truncus Infantuli transgreditur pelvim haud operosius quam in specie præcedenti. Occiput plerumque fertur ad dextrum vel ad sinistrum iisdem causis, quibus mentum in primâ specie hujusce generis. Dùm occiput aperturæ pelvis superioris occurrit, pars posterior aperturæ in quam nititur, illud coerct, cogitque basim

malæ inferioris in pectus impingere. Malâ pectori nixâ , caput in cavitatem pelvis incedit , modò hæc ampla admodum sit , contractiōnibus uterinis pellitur in vulvam. Connexio trunci cum capite , ad commissuram posteriorem vulvæ vertitur ; truncus fertur retrorsum resistentiâ arcûs pubis , quam caput superare impar est , & tandem ex cavo pelvis liberatur caput , partem circuli describendo à parte anteriori ad posteriorem. Quandò maxilla inferior alio vel altero osse pubis detinetur , occiput incedit secundùm directionem faciei anteroris ossis sacri ; & tandem diameter longior capitidis , suâ extremitate superiori , in coccygem nititur , dùm mentum uteri fundo prospicit. Dùm caput viribus uterinis urgetur secundùm directionem sacri & coccygis , occiput magis magisque accedit ad vulvam ; truncus Infantuli in commissuram anteriorem vulvæ elevatur , mentum excutitur ex cavo materno postremum. In utroque casu Mater absque artis auxilio liberari nequit , nisi aperturæ pelvis tūm superior tūm inferior , sint amplissimæ relativè ad capitidis Fœtûs volumen , contractionesque uteri validissimæ.

TERTIA SPECIES. *Caracteres.* Talorum positio in latere sinistro Parturientis , pedum digitii ad dextrum &c , hanc speciem designant.

In hâc specie truncus Infantuli æquè facilè ac in primâ hujusc generis labitur , donec axillæ nitantur in aperturam superiore pelvis. Ala sinistra supra symphysem pubis posita , ad dextram , & dextra in posteriori parte , supra posteriorem partem aperturæ superioris , ad sinistram volvitur. Mentum à dextro ad sinistrum & posterius , occiput à sinistro ad dextrum & anterius feruntur. Tunc caput init viam jam indigitatam in primâ specie. Si verò axilla sinistra labatur in latus sinistrum pelvis , & dextra in dextrum , maxima diameter ovati inferioris , sequitur directionem diametri obliquæ aperturæ superioris , Fœtûs mandibulâ in dextro & retrorsum positâ , occipite in sinistro & retrorsum. Si utraque axilla feratur in latus sinistrum , difficilior evadit partus. Viribus maternis hæc species non absolvitur , nisi validissimi sint conatus uterini , & apertura pelvis latissima ; seu , quod idem est , nisi caput parvo sit volume donatum.

QUARTA SPECIES. *Caracteres.* Pedum digitii in sinistro latere , tali in dextro positi &c , hanc designant speciem.

Omnia eodem modo ac in præcedenti eveniunt : interest autem hæc differentia , quod facies difficultius vertatur in primo casu à sinistro ad dextrum & retrorsum , ut situm obtineat versus faciem anteriem sacri , quam in tertia specie , ut veniat à dextrâ ad sinistram.

Notandum in alterutrâ specie hujusce generis , accidere posse unicum pedem pretendere Fœtum , quâ varietate tardius & operosiùs partus absolvitur.

## X I X.

## T E R T I U M G E N U S.

*Autorum Partus , Fœtu genu vel genua præbente.*

*Caracl.* Signa præsentia hujus regionis incerta , antequam membranæ dilacerentur. Aquis effluentibus vel effluxis , taetū dignoscitur progredi in orificium uteri & vaginam , unam aut alteram partem : quarum moles est spheroidea. Porro diligentiori perquisitione occurunt poplitis angulus , rotula , etiamsi cartilaginea , pars superior cruris & inferior femoris. Sed hi omnes characteres , eam non adepti sunt evidētiā , ut errori omnis ansa præcipiatur. Primâ contrectatione , genua pro cubitis habere haud impossibile. Obstetricans ergo manum ducat super faciem anteriorem crurum aut femorum : hâc porro , genitalia vel pedes Infantuli , monstrante , omne fugatur dubium.

PRIMA SPECIES. *Caracteres.* Crura ponè ossa pubis , femora versùs os sacrum , &c. hanc speciem commonstrant.

In hâc specie , omnia non aliter quam in primâ secundi generis geruntur.

SECUNDA SPECIES. *Caracteres.* Femora ponè ossa pubis , crura versùs sacrum , hanc declarant.

Hujus speciei exitus idem ac speciei secundæ secundi generis.

TERTIA SPECIES. *Caracteres.* Crura in sinistro latere , femora in dextro , hanc designant speciem.

Partus idem ac in tertiatâ specie secundi generis.

QUARTA SPECIES. *Caracteres.* Crura in dextro , femora in sinistro &c , hanc commonstrant.

Partus idem ac in quartâ specie secundi generis.

Frequentiores hujus generis varietates sunt , Infantulum unicum præbere genu , dum super abdomen vel in pectus flexa altera extremitas est , crure in femur adducto atque abdomini applicato ; vel denique genuum altero impacto in aliquod pelvis punctum ; undè difficilior evadit Fœtus extricatio.

## GENUS QUARTUM.

*Partus Autorum, Infantulo clunes uteri orificio præbente.*

*Caract.* Præsentia corporis volumine & figurâ caput referentis, in quo nec suturæ nec durities calvariaæ &c, obseruantur, rima quæ clunes dividit, coccyx, anus, genitalia, facies posterior sacri, anterior pubis, pars superior femorum &c, denotant clunes uteri orificio occurrere. Ferè semper contingit Infantulum sic positum, mœconio exonerari. Hoc signum quandèque offenditur, Fœtu situm alium quemcumque occupante; undè illius præsentia, licitum est tantum suspicere clunes anteire. In variis hujusce generis speciebus, dolores non raro sunt segniores & molestiores, quam in speciebus primi generis primi ordinis.

PRIMA SPECIES. *Caract.* Coccyx, sacrum, anus Infantuli ponè ossa pubis sita, femora & genitalia versùs sacrum mattis, manifestant hanc speciem, quæ eadem lege, ac prima species secundi generis absolvitur. Hæc autem interest differentia, quod, ceteris paribus, trunci exitus sit operosior.

SECUNDA SPECIES. *Caract.* Sacrum, coccyx, anus Infantuli versùs faciem pelvis posteriorem, genitalia, femora ponè pubim, pars dextra Infantuli in latere dextro, sinistra in sinistro mattis &c, hanc speciem declarant. Hujus speciei idem exitus ac secundæ secundi generis.

TERTIA SPECIES. *Caract.* Sacrum, coccyx, anus Infantuli in latere pelvis sinistro, genitalia, femora in dextro, hanc speciem confirmant. Partus idem ac in specie tertia secundi generis.

QUARTA SPECIES. *Caract.* Sacrum, coccyx, anus Infantuli in latere pelvis dextro, genitalia, femora in sinistro &c, hanc assignant. Hæc species uti quarta secundi generis absolvitur.

Propria hæcum quatuor specierum varietas est, quod clunium una vel altera tantum orificio nitatur. Tunc paulò operosior est partus.

## O R D O S E C U N D U S.

*Partus naturales & difficiles quorumdam, aliorum naturales operosi: Non naturales Clar. Lamote. Huc quidam ex Partibus operosis Clar. Dionis, & quidam ex Partibus contra-naturam quorumdam aliorum, veniunt.*

*Caracl. Parturientis & præsertim uteri debilitas à quâcumque causâ vel morbo orta; rigiditas orificii cæterarumque partium mollium, quæ Fœtui aditum præbere debent, superioris aut inferioris aperturæ pelvis deformata configuratio, aut earumdem coarctatio, vel quod idem remoræ genus procreat, Fœtûs caput nimis crassum, nimia duratio remissionum inter dolores, horum energia ad Fœtûs expulsionem absolvendam impotens, partus hujus ordinis prænuntiant. Si fons anterior, membranis ruptis, magis magisque ad centrum pelvis accedat, vel si Fœtûs caput obvium it in secundâ, quartâ & sextâ positione primi generis, & in curvâ secundi, tertii & quarti generis speciebus, nisi caput sit mole parvum, doloresque validissimi, partum diutiùs quâm spatio viginti-quatuor horarum protrahendum fore declarant, undè artis auxilio partum absolvit Obstetricans, eò tardiùs aut citius, quò plus periclitatur Infans vel Mater, vel uterque simul.*

Permulti ex superiùs allatis secundi ordinis caractères percipiuntur tantum ab Obstetricante in pertractione exercitatissimo, in arteque petitissimo. Hinc Lamote, vir in arte obstetriciâ emunctæ naris, dixit ambiguas proisùs esse ad eventum prædictiones, cùm hæc occurrens circumstantia, de improviso partum acceleret; illa verò retardet & protrahat.  
 » *Qu'un Accoucheur doit toujours être entre la crainte & l'espérance jusqu'à l'accomplissement de son ouvrage, vu que le plus heureux accouchement en apparence, peut devenir long & difficile, & que le plus fâcheux peut se terminer dans le tems qu'il y pense le moins.*

Hoc in ordine, genera ac species sunt eadem ac in primo. Varietates, v. g. sanguinis profluvium, motus convulsivi, Parturientis Lypothimiaæ &c, quæ species generum hujus ordinis complicare queunt, has in secundâ vel tertiatâ classi demandant, pro regione quam uteri orificio vel extra vulvam prætendit Infantulus, & pro urgentiâ varietatis quæ eis cognata est.

Peritus Obstetricans nunquam solis viribus maternis committet species partuum secundi & tertii generis; præ primis cùm pars inferior trunci, sat altè extra vulvam prominet, ut funiculus umbilicalis uteri orificij limbis prematur: hinc species horum generum sæpiùs in secundâ classi demandantur.

*Peragenda in Partu solis viribus maternis absoluto.*

Etiam si hic Mater propriis viribus sese exoneret, multiplici negotio tum ad Fœtum tum ad Matrem intentus, suam operam complet Obstetricans; quare accessitus ut opem Enitendæ ferat, sciscitabitur an primâ vice parturiat, & quænam in præcedenti partu, si jàm pepererit, passa est. Jam tactu, quæ in Muliere peraguntur, disquirat, ne laborem spurium pro vero habeat. His perpensis, dolorum momentum, & ea quæ operantur in Parturiente, dum sœviunt, aliquot temporis spatio attendat. Diagnosim prognosimque statuit, ratione habitâ signorum quæ varios laboris partoritii gradus denotant. Spectet quoque ad peculiarem Matri constitutionem, Fœtus positionem, & varia accidentia laborem concomitantia, &c. &c. Nihil renuntiabit Parturienti nisi prosperum: gratum prognosticum cum parentibus temperet, hosque non celet, millena Parturientis capiti imminere discrimina, quorum nunc unum nunc alterum, reluctantibus licet artis auxiliis, nunc neutrum ingruit.

Obstetricans parari tum sibi tum Parturienti in decursu laboris necessaria, invigilabit. Hæc sunt aqua, vinum, acetum, unguen vel butirum recens: iis præstaret fortis decoctio seminis mucilaginosi, ut Lini, &c. Curat strari lectulum, in quo magnâ cum utilitate tum sibi tum Fœtui, tum iis qui opem præbendi causâ positi sunt, Mulier parturiet: ea quoque linctea & alia parari jubebit, quæ tum sibi, tum prolem Enitendæ, tum Fœtui enixo erunt necessaria. His omnibus factis, attento animo notat quæcumque in Pariturâ observanda veniunt: eam ambulare, sedere, recumbere, & tandem situm commodiorem tenere finit Obstetricans. Alimenta euchyma Mulieri permittet, si requirat appetitus: jufcula tanuum concedet, si non esuriat.

Penè est Mulierem cuius orificium uteri ad centrum pelvis inferioris accedit, sic se gerere antè membranarum rupturam. Si orificium uteri nixum esset in alterutrum ossium ileorum, in columnam vertebralem, vel in os pubis, & dolores essent permolesti, lassantes, Obstetricans juberet Mulierem situm servare, quo uteri fundus in istud vel in illud latus labetur, idèò ut uteri orificium magis atque magis ad centrum pelvis deferret. Aquis effluxis, Parturiens Embryulci confliis, mente docili obtemperet. Sæpè, animo præscriptis obsequente, datur partus facilitas. Pluriès accessitus fui ad opem ferendam Mulieribus, quæ fortem validumque laborem spatio triginta sex horarum & ultrà passæ fuerant, quæque brevissimo temporis intervallo, propriis viribus Fœtum enixa sunt, præcripto & admisso utili situ, relativè ad positionem in quâ occurrebat caput Infantuli.

Hoc apertè declarat quanti sit momenti tactu dignoscere proprium capitis Infantuli situm, statim ut possibile est. Hic profiteri non dubitabimus casus adesse, in quibus de capitis positione certum pronuntiare difficultimum sit Obstetricanti, etiam in pertractione exercitatisse; undè vicibus repetitis, in caput Infantuli digitus immittendus est, ut illius situs peculiaris discernatur. Tales sunt casus in quibus pilosa cutis cedematoſa, vel tumefacta, futuræ omnino ferè ossæ, parùm sensibiles fontanellæ exstant. Si his in omnibus circumstantiis, caput Fœtūs ad vulvam dolores non propellant, sat altè magnum ducat Obstetricans, ut characterem detegere possit, qui capitis positionem extrà dubii aleam ponat. Frequentius observantur partus instrumentis necessariò absolvendi, quòd Obstetrics Parturientibus auxiliaturæ, non tempore opportuno agnoverunt, caput progrediendo in cavum pelvis vitiosè deflectere.

Adhibitis quæ suprà retulimus, Obstetricans colloquiis honestis Parturientem solatur, eamque invitat ut dolores magno animo ferat, & pro vitibus efficaciores reddat, absque plangore & præprimis ululatu, si illam penès sit. Quæ ululant, contractiones non solum minùs efficaces reddunt, sed etiam puerperæ haud raro aphoniam & quandoque synanche afficiuntur. Ei faustum futurum esse partum pollicetur: ne tamen laboris terminum prænuntiet, nisi eventuro remotiorem ponere sibi arrideat.

Sæpius Obstetrics jubent Parturientes recumbere, ut possint eis in labore partoritio adesse. Auxilia quæ eis suppeditare contendunt, sita sunt in ampliatione vulvæ quam operare conantur, ambos indicis digitos inducendo in hujus cavitatem, quam dilatare nituntur, digitorum alterum ferendo ad dextram, ad levam alterum, vel ambos contrà commissuram posteriorem validè applicando. Aliæ alio modo se gerunt: duos vel tres ejusdem manus digitos, quam maximè altè possunt, in vaginam ducunt, & eam unâ cum vulvâ dilatare conantur, partes illas tum à dextris, tum à sinistris, tum retrorsum diducendo. Ex his primùm allatis, doloribus diris cruciatur Mulier, secundùm, levioribus. Utrumque maximè noxiū, non solum quòd genitalia irritent, sed etiam quòd abstergant humores unctuosos earum dilatationi alioquin fauturos, & Fœtūs viam ungere natos. Dilatationes ab aliis insignitæ, *præparatoriarum*, gallicè *préparatoires*, nomine, non minùs ac prædictæ intempestivæ sunt, præprimis si adhibeantur, priusquam caput in cavum pelvis inferioris sit delapsum. Quò magis præparationes relatæ Parturienti nocent, eò magis prosunt pressiones, quas super coccygem & ligamenta sacro-ischiatica instituit gnarus Obstetricans, cùm obstant partes assignatæ, ne caput in aperturam pelvis inferiorem progrediatur. Pressiones illæ celeriorem concitant partum, sive favendo horum ligamentorum

ligamentorum extensioni, & coccygis retrorsum flexioni, sive contractions uterinas validiores efficiendo, quod non raro in praxi observandum contingit. Quidam Obstetricantes in cessatione dolorum, irritationem orificii uterini digito peractam, ut dolores è novo excitarentur, prescripsere: quod huic operationi succedere polliciti sunt, nusquam evenit. Uterus, post longum necnon operosum laborem, comparari potest homini exhausto labore diu protracto: hic musculos in actum promovere nequit, nisi quiete & persæpe auxiliis multigenis, ejus vires refocillentur; ita & uterus iners remanet, dolore fugato, donec ejus vires quiete reficiantur. Plures tentavi orificium uteri titillare, ut excitarentur contractiones uterinæ. Irrita omnia tentamina expertus sum, si adhiberem ea in instanti cessationis doloris: aliter se res habebant, si ab aliquo tempore cessassent dolores, & uteri vires restitutæ fuissent. In primo casu querebantur Parturientes, dolorem in genitalibus digito inferri, nec tamen procreatæ erant contractiones uterinæ: in secundo, dolores digito excitatos tribuebant uterinæ contractioni, quam jam jam erant expertæ; sed notandum dolores illos paulò post suâ sponte exorturos fuisse. Cum accersitus fui ad Parturientes, quarum uterus lassatus & dolore gravatus fuerat, cui etiam imminebat sanguinis ingurgitatio, irritationes digito colli uterini marginibus institutæ, vanæ fuere. Venæ sectiones, balnea, potus diluentes, clysmata opportunè adhibita, effectus salubriores attulere. His auxiliis pacatus uterus, novis se contractionibus accingit.

Dùm occiput seu conjunctio quatuor calvariae ovatorum, arcum pubis subire incipit, perinæum & anus deorsum & retrorsum pelluntur (a): si remissi & moderati dolores sunt, sensim & sine sensu dilatantur, & absque laceratione è vulvâ sese extricat caput Infantuli: si contrà, validi ac frequentiores sunt dolores, caputque amplæ molis, furcilla & perinæum scinduntur. Hoc infortunium vitandi causâ, Embryulus genitalia perungere curat, Parturientem jubet doloribus obsistere quantum in se est. Tunc, unâ vel alterâ manu perinæo adaptatâ, obstat ne promptior sit capitum detrusio, dum conatur illud ducere à commissurâ posteriori ad anteriorem. His auxiliis adhibitis, saepius perinæi lacerationem vitat. Quando Infantuli facies

(a) Cum pelvis apertura superior respectivè ad molem capitum angustior est, id quilibet contractione inferius trahum, quilibet remissione sursum retrò pellitur, tum partium durarum pelvis resistentiâ, tum calvariae elasticitate. Idem contingit, cum jam caput ad aperturam inferiorem devenit, si capitum moles supra data occurrat, & coccyx, ligamenta sacro-ischiatica, perinæus, vulva ægtius cedant, donec simile osseum inferiorem pelvis, gibbi parietales prætergressi fuerint: tunc remittente dolore, caput immobiliter sistitur, novoque ulterius truditur, & tandem omni extricatur repagulo. Hunc capitum retrocessum, Obstetricantium turba, funiculi circa collum Fœtus revolutioni, adscripsit.

anticè & sursùm posita est, ut in secundâ, quartâ & sextâ specie evenit, inferiùs propellitur perinæum, & ni caput sit parvum vel apertura inferior amplissima, difficilè harum partium dilacerationem vitabit Obstetricans, etiam auxiliis rectè adhibitis. Vix caput vulvam supergressum est, ut eodem conamine uterino vel subsequenti, ejus facies sive posticè, sive anticè sita sit, sapiùs in crus dextrum vel sinistrum vertatur. Hâc quartâ rotationis parte, magna humerorum diameter majori diametro aperturæ inferioris pelvis fit parallelæ: si capite vel foliis humeris non peragitur hæc positionis Fœtûs mutatio, istius truncus, capite excluso, in pelvi detinetur. Si tunc Obstetricans Infantuli corpus luci dare nequit, manibus, alterâ basi inferioris maxillæ, alterâ occipiti, adaptatis, autores quidam jubent alterum vel utrumque indicem, unam alteramve alam injici, ut corpus Infantuli attrahant. Eo autem opere, tantùm abest ut facilem Infantuli trunco exitum, ut è contrâ difficultorem præbeant. Hanc igitur methodum rejiciat gnarus Obstetricans, & inductione digitorum indicis & medii in faciem anteriorem unius vel alterius humeri, & eorumdem digitorum manûs alterius in faciem posteriorem humeri oppositi, hunc humerum antrorsùm, retrorsùm alterum ferat. Hoc situ trunci, Fœtûs major diameter seu transversalis, maximæ diametro aperturæ inferioris respondebit, facilisque sèpiùs erit trunci exitus, hunc manibus alterâ in basim maxillæ inferioris, alterâ in occipite applicatis, promovendo. Primo motu, tentabit caput & Infantuli corpus ad anum & coccygem ducere: hoc conamine, humero ad sinum pubis sito, aperturâ inferiori extricato, ad se & anticè caput elicet Obstetricans: tunc alter humerus expeditur versùs commissuram posteriorem; quo facto, precipiti elapsu proruit truncus, nisi funiculus sit contractus, aut collo Infantuli implicatus; quo casu præscindatur necesse est, ne uteri inversio fiat. Si invitâ sitûs mutatione superiùs allatâ, exitus trunci Infantuli ex aperturâ pelvis inferiori, sit difficilior, Obstetricans extremitatem superiorem unius vel alterius brachii, intrâ indicem & pollicem arripiet, & hoc modo humerum in partem lateralem colli elicet. Illo vel altero humero sic progresso, brevior fit transversalis trunci diameter, indèque facilior exitus. Puerum enixum dorsum vulvæ obvertentem, in alterum latus sternat, & funiculum super latus alterum ponat: deinde abdomen, quâ parte utero respondeat, manu fricit & comprimat, ut uterinam contractionem sollicitet.

## X X I I I.

*De Funiculi umbilicalis Vinclurâ.*

His peractis, injicienda est funiculo umbilicali ligatura. De loco deque ipsius colligandi necessitate dissentunt Embryulci. Ut de hoc

brevior sit sermo , sat erit , quod experientia comprobat , referre . Qui forti & validâ constitutione gaudent Infantuli , quorumque pectus validâ inspiratione ampliatur , ii vix , funiculo ad sextum vel octavum ab umbilico pollicem inciso , aliquot sanguinis guttulas fundunt : si verò debili & delicatâ fiat complexione , & difficilem spiritum trahant , plus , parcè tamen , sanguinis profluit , eoque minus quò longior funiculus superstes , & frigidior atmosphera ambiens . Etsi jam allatis sufficiens sit , funiculum Infantulorum forti constitutione præditorum , ad septimum vel octavum ab umbilico pollicem absque ligaturâ , aciei subjicere , culpandus esset Obstetricans , si vinclaturam non injiceret . Hæc , villis alter alteri per latus appositis & obceratis , conficitur ad secundum ab umbilico pollicem . Huic , superior fiat altera ; inter istam & priorem rescidendum est funiculus ; quod perutile . Hinc major , nec ad extrusionem inutilis , placentæ moles . Si secunda ligatura absit , & uterus contractetur , vix una aut altera sanguinis uncia ex umbilicali venâ profluit . Observavi tamen maximum sanguinis profluvium è funiculo umbilicali in duabus Puerperis , quarum erat uterus iners : idem mihi observandum contigit in alterâ , cuius placenta utero contracto ita adhærebat , ut hanc manu avellere coactus fuerim . Præsentia ejusdem phænomeni in omni inertij uteri post Fœtū expulsionem , comprobaret meram sanguinem à Matre ad Infantulum ferri .

Funiculo reciso , cautelis Fœminæ ad eum curandum præpositæ , Infantulum committet Obstetricans .

## X X I V.

### *De Secundinarum Extractione.*

Fœtu ex uteri cavo expulso , continuò in sese coarctatur hocce viscus , & si secundinarum cum utero levis sit adhæsio , orificiique uterini resistentia nulla vel ferè nulla , earum detrusio absque dolore absolvitur . Quan' d' verò , hæ uteri superficiei internæ arctè inhærent , & orificio difficilè dilatationi obsequiosum , novi exoriuntur dolores plus aut minus acuti , intervallis divisi , qui que sæpius persistant , donec ab uteri cavo expellantur secundæ . Cùm placenta ad vulvam delapsa est , unâ aut alterâ manu Embryulus eam complectitur , & à dextrâ ad sinistram , vel à sinistrâ ad dextram volvit ; hinc membranæ funis genus quoddam efficiunt , & dilacerationi minus aptæ evadunt . Hac methodo , non solum quidquid membranarum utero inest , ex illius cavo foras ducitur , sed etiam extruduntur placentæ portiunculæ , quæ quandoque à majori ipsiusmet fragmento , plus aut minus distantes reperiuntur . Quidam contendunt disjunctionem placentæ circa peripheriam incipere , quod infrequens est , & quandò

contingit, sanguinis profluvio hæc concomitatur. Placentæ solis viribus maternis detrusæ centrum, sæpè sæpius uteri orificio occurrit: hinc si funiculi placentæ insertio anteit, hunc in centri viciniâ aut in ipsomet centro implantari, judicabit Obstetricans. Quandò levibus continuaisque tractionibus, non verò succussionibus, ut quidam jubent, funiculum nunc à dextrâ ad sinistram, nunc à sinistrâ ad dextram, & tandem à commissurâ posteriori in anteriores, & ab anteriori in posteriores ducit Embryulus, sæpius-contingit, punctum placentæ quodcumque sit, cui infixus est funiculus, primum anteire. Sanguis partim fluidus, partim grumosus qui ex utero elicetur unâ cum secundinis, comprobat etiam disjunctionem hujuscce corporis incipere à centro ad periphæriam: idem commonstrat placentæ ac membranarum inversio, quæ haud raro non evenit, dum ex uteri cavo expelluntur.

Quater post Fœtum enixum, uno aut altero segmento validius arctato, cavum uteri bipartitum observavi, placentamque in cavo remotiori inclusam; notavique in omni casu, aquas diù antè Fœtū exclusionem omnino effluxisse; undè hujus phænomeni facilis emanat ætiologia: namque, quis non concipit, aquis effluxis, uteri varia segmenta eò magis arctari, quò regionibus Infantuli tenuioribus respondent. Hic finis sit doctrinæ de secundarum extractione: hanc explevit omni laude major, hujuscce Scholæ Magister & artis lumen, D. Levret (a).

(a) *Essai sur l'abus des règles générales, & contre les préjugés qui s'opposent aux progrès de l'art des Accouchemens*, page 168 & suiv.

*Suite des Accouchemens laborieux*, édit. 3. pages 41, 48, 69, 104, 119, 128, 281.

*La manière de délivrer les Femmes dans le troisième volume des Mémoires de l'Académie de Chirurgie, &c.*

KMPL  
SE 11

collected Comp  
12/2/95

